

05 A 478

05

A

478











ΠΕΝΤΑΣ

*Questionum Politicarum,*

Quam

Θεῶν εὐλαγῆντος

Consensu Amplis: Facultatis Phi-  
losophicæ in illustri WITTEBERGEN-  
SIUM Academia

*Preside,*

M. GEORGIO OBERLA

Plav. Varisco, Amplissimæ Facul:

Philosophicæ Adjuncto,

*Publico examini subijcit*

JOHANNES HÖFERUS, ELN-  
BOGA-BOHEMUS.

*Ad diem XI. Novemb. qui Martino  
aliàs sacer habetur.*

In acroaterio PHILOSOPHORUM  
horis à 7, matut.

*Socrates apud Xenoph.*

Generosum & omni favore dignum est in-  
genium, cui cordi sunt disciplinæ politicæ,

WVITEBERGÆ,

*Typis WOLFGANGI MEISNERI. A. 1615*





VIRIS AMPLISSIMIS, CONSUL-  
tissimis, Prudentissimis, Auctoritate & sapi-  
entia omniq; Virtutum genere præstan-  
tissimis Dominis,

CONSULIBUS & SENATO-  
RIBVS inclutæ Reipub. Elnbogensis.

Dominis, Mecænatibus, Fautoribus & pro-  
motoribus suis, summa animi observantiâ  
colendis,



Hocce πρῶτον πολιτικόν,

In debita gratitudinis & observa-  
tiæ τεκμηρίον submitte,  
quia debeo, offero & nuncupo

JOHANNES HÖFERUS,  
A. & R.

05 A 478



## Præloquium,



*A*udat *BASILIUS*, magnus ille Ecclesiæ doctor, episcopum Iconij Amphilo-  
chium, quod *non tentandi* sic ut plurimis tum temporis in more erat positum, ) *sed veritatis investiganda gratia* quæstiones ipsi proponeret: neq; immeritò reprehendit, non modò curiositatem, verū etiam infidias eorum, qui alios ad differendum de cōtrover-  
siis invitant, cum ipsi interea *nemicam quidem studij veritatis cognoscenda habeat.*

Quod ipsum sancti viri effatum si tralatitium feceris, nostrisq; temporibus accommodaveris, minime (*meo quidem iudicio,*) aberrabis. Reperire enim & nunc tibi datur ubique copiam eorum, qui in quærendo & interrogando satis se præbeant faciles, animum tamen discendi cupidum & medicinam veritatis adversus errores aut suos aut aliorum seriò expectentem, difficile offendes: quin potius *ut venatores laqueos, aut ij qui bella gerunt, insidias astutè struunt*: Sic plurimos non ut discant, sed ut confundent, non ut ædificent, sed ut evertant, non ut animum inscitæ rubiginis exuant, sed ut vanam aliquam gloriolam capiant, quæstionibus & interrogationibus variis aliis negotiū facessunt, *Malè*. Nos sane quemadmodum astutiam istam animum semper detestati sumus, ita quæstiones hasce non capiendi, non captandi, non confundendi. Sed unicè veritatis cognoscendæ gratia *in arenam exer-*



*citationum, in theatrum bonæ fame, sine jurgijs, sine plebeis rixis producimus, quem ipsum candorem non modo approbandum, sed & juvandum esse, D. BASILIUS iudicat.*

*Tu IESU adesto nobis, ut tuâ adjuti gratiâ animis nostris corollam scientiæ & sapientiæ hac vice contexere valeamus. Nunc ad labores, qui præ manibus sunt. Sit ergo*

### QUÆSTIO PRIMA.

## An politica sit necessaria & utilis.

**Q**uid sit politica & quid subincludat, hac vice non tãgam, de illo tantùm dispiciam, *Utrũ ea sit necessaria & utilis?* Neminem a. facilè inveniri posse existimo, qui hoc ipsum planè negatum ire audeat, nisi qui *fungum pro cerebro*, nactus, ipsam societatem humanam, vel ipsum etiam solem è mundo tollere conaretur. *¶ I. Enim politica modum regendi & debito modo parendi prescribit, quod sanè perquam utile & necessarium esse nemo dubitet: immò hujus tantam vim sive necessitatem potius experimur, ut ea unicum fulcrum rerum humanarum dici mereatur, Lips. pagin. 80. civ. doct. Phil. 1. politic. 3. Seneca de clem. Hæc Circeæ illa virga, qua tactæ feræ hominesq; mitescunt, quæ è ferocibus univèrsis singulos suos quemq; metu, obediētes facit Lips. 1. d. Hæc optimarum legum seminarium, Apulei. in 1. de Philosoph. Ex his E. ita possumus συλλογισθεσθαι*

Quic-



Quicquid docet rectè regere, & debito modo parere, id in vitâ humana perutile & pernecessarium est,

At politica docet rectè regere, & debito modo parere.

Ergo &c.

*Connexum majoris firmum esse, vel inde liquet, quod in imperantes & parentes humana distribuatur societas, Quicquid ergo huic utile est, etiam vitæ humana utile censendum erit, Neq; etiam minor sua destituitur firmitudine; Politica enim, tam Magistratui, quam subditis leges præscribit, secundum quas ipsis vivendum est:*

MAGISTRATUI quidem, *ut cognoscat se datum esse civibus, non vero cives sibi, Lips. p. 96. (moderatori enim Reip. beata civium vita proposita est) Te spectas? erras: Nam Rex eligeris, non ut te molliter cures, sed ut per te ij, qui te eligerunt, benè beateq; agant, hac una in re maximè abire poteris à tyranno, ille enim suum ipsius commodū spectat & quærit, non Rempub. vel subditos: Hinc SOLON interrogatus, quomodo civitas vel politia in optimo degeret statu? dixisse fertur; Si cives Magistratui obediant, Magistratus autem legibus.*

Prudentia hæc politica est, (ait Lips. lib. 1. cap. 7. n. 2.) Intellectus & delectus rerum, quæ publicè privatimq; fugiendæ aut appetendæ, (Nam in Repub. ad minimum sunt, vel quæ faciendæ aut omittendæ) quorum ille est instar oculi omnia videntis; hic verò instar manus, quæ utilia accipit, noxia reiicit, & honesta à deterioribus discernit, proinde invigilandum magistratui erit, ut civibus non tantum benè præsit, sed & tutorem illis se præbeat; *non dominationem & servos, sed rectorem*



*Et cives cogitet: Pessimus ille habetur, qui in imperio nil nisi imperium cogitare didicit, vid. Althus. c. 1. num. 13. & seq. c. 21. n. 8. & Petr. Gregor. l. 1, c. 1. n. 18. & seqq.*

SUBDITOS quoque *Politica* ita instruit, ut eos, qui illis præsunt debitis officiis excipiant, Magistratui suo sincero ex affectu debita officia præstent, quæ in exhibitione honoris, obedientiâ tributorum operum militarium & quæ his sunt alia consistit, Ro. 13. Matt. 22.

*Præterea experientia ipsa docemur, quanta ignorantia hujus doctrinæ mala, quantasve turbas in rebus civilibus excitet. Ruunt omnia ubi desideratur hoc firmamentum: Diffluunt omnia, quæ non experiuntur hoc evagulum: Ibi consilia inepta, ruda, intempestiva, &c. Et quid multis? turpe est omninò homini vivere in mundo, & nescire quid sit mundus, certe magis turpe civi vivere, in Republ. & nescire quid sit Respubl. ex quibus & per quos sit: Quæ omnia docet politica. Et hinc Plutarchus in Caton. maximè operè nobis politicam disciplinam commendat, inquit: Vix assequitur homo ullam virtutem politicam præstantiorem, quippe quæ architectonica & regina reliquarum omnium. Arist. Ethicor. adeo ut ipsæ leges politico judicio dijudicandæ sunt, Cuiac. in observat. & Seneca. non Scholæ sed & vitæ discendum esse præcipit, Quibus non immeritò addimus Otthonem Melandrum jura doctum virum qui hac de re sic; Sine politicæ consensu & voluntate, sicut Theologus tacet Ictus, mutus est medicus, sine ejus jussu & sanctione nulla est, vel artibus ingenuis vel mechanicis, quæ in publicum humanæ vitæ theatrum prodire audeat. Nam quod docetur Grammatica, Dialectica, Rhetorica*



torica, Physica, Ethica & artes Mathematicæ, quod  
homines in pietate & religione instituuntur, quod in  
legali Philosophia & medicina erudiuntur, quod ex  
tra Scholas etiam in pace opifices opificia exercent sua  
id omni jure sibi vendicat Politica. *Hac ille in idea seu ex-  
egesipolit.*

Ite nunc osores politica, qui albæ gallinæ filios  
vos esse existimetis, & si placet, dubitate amplius de e-  
jusdem necessitate & utilitate; Ite, ite inquam.

### QUÆSTIO II.

*An liceat Christiano aliquid vovere?*

**V**Otum (Hebræis <sup>וְדָבָר</sup> Latin. à volunta-  
te quasi à primo movente rationem ad promit-  
tendum dictum) finitur, *promissio sancta & religiosa*  
*DEO ab hominibus consulto & spontè facta ad aliquid vel fa-*  
*ciendum vel omittendum, quod DEO gratum & acceptum*  
*esse constat, idque in gloriam DEI, & utilitatem proximi, à Ja-*  
*cob Martini præceptore nostro nunquam satis lauda-*  
*to, in eūdæ: dis. 6. de conscientia, q. 15. Scholasticis dici-*  
*tur promissio de meliori bono operum quàm sit*  
*illud, ad quod tenemur de necessitate salutis, Anton.*  
*part 2. summæ, tit 11, cap. 1. §. 1. promissio melioris boni*  
*animi deliberatione firmata. ibidem, c. 2. Vel promissi-*  
*o propositi supererogantis Deo facta, propter finem*  
*utilem ex deliberatione firmata. Thom. 2. secundæ,*  
*q. 88. art. 11. Magist. sent. dist. 38. 4. l. 4. sent. Hoc verò*  
*num liceat, vel in necessitate, vel extra necessitatem, Christia-*  
*no suscipere quaritur? Affirmativam accipimus I. Quia*  
votum.



votum est actus virtutis religiosior, ut ait Antoninus part. 2. summæ, tit. II, cap. 2. §. 3. Ad religionem autem pertinet offerre cultum & ceremonias DEO, *secundum Tullium*, vid. Esa. 119. II. Quia à DEO inter cætera probatum, quando certis limitibus ab ipso circumscriptum, dum & γενικῶς Deut. 23. §. 21. Psal. 75. Eccles. 5. §. 3. Proverb. 15. §. 8. 20. 25. & ειδικῶς Levit. 27. §. 2. Num. 6. §. 2. 18. §. II. 14. & c. 30. §. 3. Deuter. 12. §. 26. vota servanda præcepit; immo *solutio voti, a deo usq; necessaria est, ut sine propriæ salutis dispendio alicui non liceat resiliire*: ait Anton. parte 2. summæ. tit. II. c. 2. §. 2. Et gravius peccatum est transgressio voti, quam transgressio juramenti, Thom. 2. 2dæ, q. 88. & ea, quæ cadunt sub voto, obligant ex lege etiam naturali & ex lege divinâ; ideo non possunt dispensari ait 4 d. 38. q. 1. a. 4. q. 1. n. 1. 3. quia à Christo, Ps. 22. §. 26. & sanctis usurpatum ut patebit. IV. Addit Thomas, 2. 2dæ, q. 88. c. 4 & hoc, quod pio etiam homini multum prodesse queat. Votum ait, est promissio DEO facta, alia autem ratione aliquid promittitur homini, & alia ratione Deo Homini aliquid promittimus, propter ejus utilitatem cui utile est, & quod ei aliquid exhibeamus, & quod cum de futura exhibitione prius certificemus, sed promissionem Deo facimus, non propter ejus utilitatem sed propter nostrâ, De qua infra pluribus.

Relictis autem hac vice variis votorum speciebus affirmativis, hasce cautelas addimus.

1. Vt *Persona* vovens sit satis idonea.
2. Vt votum suscipiatur *de relicta* & concessa.
3. Vt id fiat animo spontaneo.

4. Vt



4. Ut solum Deum respiciat,
5. Et denique ut *finem* bonum piumq; præsuppositum habeat.

I.

*Persona idoneitatem*, quando requirimus, opus est, ut sit.

1. *Persona sui juris*, ne potius audax, temeraria, & officij sui oblita, quàm religiosa deprehendatur; Nullus enim potest se firmiter obligare ad id, quod est contra voluntatem alterius in cuius est potestate; Quicumque autem est alteri subjectus, quantum ad id, in quo est ei subjectus, non est suæ potestatis, & propterea votum ejus non est obligatorium, nisi ratificetur à superio.

2. Sub votum non cadit, nisi quod est virtuosum, jam verò contra virtutem est, ut id, quod est alterius homo offerat DEO, *Thom.* l. d. c. 8.

Sit 2. fidelis, Sit 3. mentis compos: & hoc ipso relegamus a votis, I. *Vxores* voventes, viventibus maritis II. *Servos*, in potestate Dominorum constitutos & nondum libertate donatos. III. *Liberos*, potestate parentum adhuc conclusos, & annos pubertatis nondum egressos. Num. 30. IV. *Infideles*; Notum enim illud. Quicquid sine fide est Deo placere nequit, Hebr. 9. V. *Furiosos*, & alios, qui suæ potestatis non sunt.

II.

Ulterius: *Rem licitam possibilem & concessam* requirimus, ne Deo ingratus odor obtrudatur, qui vel juri Divino vel humano contrariatur, charitatem & fidem evertat, vel etiam utilitatem publicam feriat. Qua conditione à votorum castris relegamus.

B

I. Vota.



1. *Vota impossibilia*, v. g. si quis voveret, se solem de coelo detracturum, vel destitutus dono castitatis, virginitatem perpetuam.

2. Quæ in se sunt *Necessaria*, ut si quis foveret, se aliquando moriturum.

3. Illicita, impia, ve etiam majoris boni impeditiva, quæ absque peccato impleri nequeunt, Deut. 23. v. 18. Exempla sunt, Jud. 17. v. 2. Act. 23. v. 14. Num. 30. v. 3. & 6. Anton. part. 2. summæ tit. 11. c. 2 §. 4. 9.

4. *Stulta, vana & ridiculosa*, ut de non volando, de non pectinando crines per totum annum: de non comedendo panem die Dominica; de non comedendo capite vitulino, ob honorem capiti habendum, de his dicit SALOMON *Displicet DOMINO, stulta promissio*, Eccl. 5.

5. *Vota detrimentosa*, quæ vergunt in personæ detrimentum, ut si quis voveret, se velle corpus suum continuis vigiliis per totum annum macerare.

6. *Vota casualia*, sic vocata seu fortuita, quæ ambiguum respiciunt eventum, quale fuit illud Davidis, 1. Regum 25. v. 22. In his fidem rescindere licet, secundum illud Isidori lib. 2. soliloquio. In male promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute vovisti, ne facias: Impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur, Magist. sent. 1. 3. distinct. 39. Exemplo est David, 1. Regum 15. v. 22. 33.

### III.

*Animo spontaneo fiat necesse est*, (quia alias non esset promissio, sed coactio, vel comminatio,) Bernhardus melius est non vovere, quàm vovere illud, quod sibi is

CU



promittitur, nolit exsolvi: Fiat item *Cum deliberatione*  
Deus enim populum spontaneam requirit, Hinc Scho-  
lastici ad votum tria de necessitate, requiri ajunt. 1.  
Est deliberatio. 2. Propositum. 3. Promissio; Quan-  
doque etiã superadditur pronuntiatio oris & testimo-  
nium aliorum, Ergò.

I. Vota non sint coacta.

II. Non sint dolo ac fraude aliorum adimpetrata.

III. Non sint stolidè nuncupata, quale est Hero-  
dis jurejurando, filia suã spondentis, se ei quicquid  
peteret daturum, Matth. 14. v. 6.

IV.

*Solum DEVM respiciat votum*, Thom. 1. d. & 4. d. 38. q.  
1. art. 1. q. 1. Is enim est solus vindex violati voti 2. Illi  
nos & nostra debemus omnia, Deut. 10. v. 17. 1. Paralip.  
ult. Ipse fecit nos, & non ipsi nos, Psalm. 102. Quodnã  
verò Deo solo vovendum sit, investigari nequit, nisi ex  
ipsius verbo; in præceptis ipsius, & non juxta præcepta  
hominum ambulemus, Matth. 15. v. 9, Deuter, 12, §. 8 &  
32.

Reprehendimus ergò hic gravissimè Pontificios  
peccare, qui mortuis vovent hominibus dum eos opi-  
tutores tempore adverso & necessitatis invocant, Eo-  
dem etiam modo ethnicos' Idololatrias deprehendim⁹  
qui vota sua statn̄s imo ipsis Dæmonibus & quibuscū-  
que flagitiosissimis prænuncupant, nempe Jovi parri-  
cidæ, Marti adulterio & homicidæ, Veneri Deorum at-  
que hominum scorto, Agricolaë opi, Junoni invidiæ ac  
crudeli, Sylvano pro boum incolumitate; Pastores Pani  
Viatores, Hercules fures, Mercurio amatores, Veneri

B 2

&



& Cupidini. Sic Græci ventis omnibus. Galli Circio Vento. Athenienses Scironi.

I V.

*Ut Votum finem bonum & pium presuppositum habeat,* ut supra diximus, qui dirigatur ad gloriam DEI & proximi utilitatem. Fines autem in specie votorum, quatuor à nonnullis recensentur. 1. *Est gratitudinis,* quo Deo gratias offeramus, pro beneficiis acceptis, Num. 21. §. 2. Io. 1. §. ul. c. 2. §. 10. Ge. 28. §. 20. Ps. 22. §. 26. 2. & 66. *Deprecationis,* quo iram Dei super nos deprecamur, & meliora nobis danda ab ipso ardentis precibus precamur, Jon, 1. v. 16. & 2. §. 10. 3. *Est Exstimulationis,* quo ad pietatis & vocationis nostræ officia excitamur. ut Nazar. Num. 6. §. 2. 4. Ut proximum adjuvemus, ejus utilitatem & commodum ubiq; promoveamus, ut fecit Paulus tondens caput, Act. 18. v. 18. §. Omnis autem vovens respicit vel ad præteritum, vel ad futurum tempus. Pertinet igitur priores duo fines ad præteritum tempus; posteriores, ad futurum. Quomodo verò hæ conditiones cum votis monasticis conveniant, hujus loci non est demonstrare.

QUÆSTIO III.

*Utrum sortibus interdum committenda sit electio Magistratus.*

**S**ors (quam nonnulli dictam inde putant quod minimè servet seriem. Alii vero, quod magis patefaciat seriem,) secundum Thomam, in scripturis, duobus modis accipitur, sc. *pro signo dato,* per quod distinguuntur res confusæ ab invicem, & *pro officio,* vel  
re



re propria justè possessa, vel debita, in divisione aliqua-  
rum personarum vel possessionum, sicut vocantur sor-  
tes Israelitarum, justæ possessiones, distinctæ cuilibet  
tribui vel personæ assignatæ, Opus. 73. c. 8. & quidem,  
*si queratur*, iudicio sortium, quid cui sit adhibendum,  
sive sit honor, seu dignitas, seu pœna aut actio aliqua,  
vocatur *Sors divisoria*; Si autem inquiratur, quid agere  
oporteat, vocatur *Sors Consultoria*. Si vero quærat, quid  
sit futurum, vocatur *Sors Divinatoria*. ait idem 2. 2dæ. q.  
95. c. 8. A nonnullis fors ita distinguitur, ut alia dicatur  
*sors extraordinaria*, cujus exempla habentur, 2. Chron.  
29 & 25. 1. Chron. 5. Ios. 13. 14. 15. *Alia Divinatoria*, Eze.  
21. §. 21, Alia denique *Politica*, Proverb. 16. v. 33. c. 18. §. 18.  
Alii eam ad duo referunt genera, quorum unum vo-  
cant *superstitiosum & illicitum*; Alterum verò *concessum  
& licitum*. ILLUD est, quo futuri curiosè investigantur e-  
ventus, id quod divina prohibuit sapientia Lev. 19. Deu.  
18. v. g. si quis conetur sorte explorare, utrum hoc anno  
propter febrim & alios morbos sit supervicturus. Vtrū  
vel in hoc vel alio loco sit moriturus; item qualem sit  
habiturus conjugem, formosamne an deformem. Hoc  
verò genus nihil aliud est, quam exploratio divinæ volunta-  
tis, ubi nec ratio nec consilium humanum adhiberi potest, sed Dei  
gubernationi res tota & sortes committuntur Vnde B. Augu-  
stinus ait: Sors non est aliquid mali, sed res in humana  
dubitatione divinam indicans voluntatem. Et hanc ip-  
sam ritè institutam, divina nunquam improbavit vo-  
luntas, unde & à sanctis viris ea usurpata legitur, Levit.  
16. v. 7 & 8. Num. 26. & 33. Ios. 7. Reg. 10. 1. Samuel. 16.  
14. Lucæ 1. §. 9. Act. 1. & alibi. Et hujus usum in creandis



quoq; magistratus ad tollenda, varia discordiarum semi-  
hodièque licitum esse, quando nempe ratio & consili-  
um omne expirat, vel etiam duorum vel plurium regni  
candidatorum idoneitate parium id flagitat, hoc tan-  
tum pensi habeatur. I. Ut fors inter æquales tantum  
locum inveniatur, II. Non nisi urgente necessitate ad-  
hibeatur. III. Absque suspitione. IV. Cum precib9.  
V. Cum recepta data promissione, quod uterq; æqua-  
lium velit in eventu acquiescere. In primis verò discre-  
tio adhibeatur, ne permittantur tales sortes, per quas  
fraudibus ac technis resignetur imperium veluti fuit  
hinnitus equi, quo Darius electus fuit.

Eodem pacto de sortibus in alio licet casu, 8.  
Augustinus in Epistola 18. ad Honor. scribit; Si inter  
Dei ministros sit disceptatio, qui eorum persecutionis  
(sic etiam pestis,) tempore maneant, ne fuga fiat o-  
mnium, et qui eorum fugiant, ne morte omnium de-  
feratur, Ecclesia si hæc disceptatio aliter non potuerit  
terminari, quemadmodum mihi videtur, qui maneant  
& fugiant sorte eligendi sunt, vid. idem 1. de doctrina  
Christiana & Hinc Beda super Acta Apost. si qui neces-  
sitate aliqua compulsi Deum putant sortibus esse cō-  
sulendum, videant, hos ipsos Apostolos non nisi colle-  
cto fratrum collectu & precibus ad Deum fuis egisse.  
vid. Brentius super 1. c. Actor. fol. m. c. i. p. 15. 6. ubi simul  
quid de sorte Saulis 1. Sam. 14. & nautarum Ionæ, 1. 5. 7  
& aliorum, sit habendum exponit. Addatur Arcular. in-  
c. 1. act. Aret. Probl. The. fol. 634. tit. de sortibus Lossius  
in 1. cap. Act. Arist. 6. polit. c. 2. Casus in Sphær. civit. l. 4.  
c. 15. q. 2. Thol. l. 7. c. 14. Iacob. Simanc. l. 3. de Rep. c. 5. pa-

Quæ



QVÆSTIO IV.

*An Poetæ in Civitate sint ferendi?*

**S**Anam Poësin & sanum poëseos usum si  
intelligas affirmamus. I. Cum illum nihil fermè  
aliud quam numeris inclusam philosophiam esse  
deprehendamus, qua quasi suaviserio quodam le-  
gentes extimulantur. Sicut enim mandragora juxta  
vites nascens, vinum reddit lenius: Ita Philosophiæ ra-  
tio admota Poeticæ, moderatiorem ejus efficit cog-  
nitionem ait Plutarch. Et Scaliger in Præf. Poetic. ait: Po-  
etarum lectionem qui damnarunt, agresti atque aspero  
supercilio bruti homines, ne in hominum quidem cen-  
sum reponendi sunt, &c. quem vid. l. d. 7 poetic. pa. 2. 3. 6.  
8. 176. 259. &c. ut Petrus Gregori V. 17. de Republ. cap. 5.  
n. 4. Senec. l. 7. Epist. 8.

II. Sanctos viros hymnis versibus inclusis (quos ad-  
huc imitantur nostræ ecclesiæ) Deum celebrasse, neq;  
ab hoc ipsum Christum abhorruisse observemus.

III. Ab ipso quoque Apostolo aliquot versus ex  
Græcis Poetis citatos ostendamns. v. g. Menandri. 7. Co.  
15. §. 33. Arati Actor. 17. §. 28. Epimenidis Tit. 1. §. 12. &  
ex antiquo quodam Poeta senarium Iambicum. 7. Cor.  
5. §. 6. Gala. 5. §. 9. &c. ut rectè Cassiodorus omnem poeti-  
cam elocutionem à Divinis scripturis sumfisse initium  
statuerit. Vid. Plut. in præc. ger. Reipub. sentit. corn. A-  
grip. de vanit. scient. c. de Poetis. Sed & poetas linguam  
veniamns ad Carnifices, de quibus

QVÆSTIO V

An



V. *An Carnifices sint per se infames?*

**S**ONTES è medio tollere, antiquitus ignominiosum non erat, Lege Mosaica in blasphemum testium manus prima lapides jaciebat, Deu. 13. v. 8. 9. c. 17. §. 7. Imò Samuel captivum regē Agag sua manu interfecit, ex quibus & hisce similibus pluribus sat firmiter colligimus *Hebræā istā atatem nec carnifices habuisse, nec fontes occidere ignominiosū duxisse*: Etnicorum historia, vetustissimos quoq; munere hoc caruisse demonstrat, & quemlibet prout à magistratu id injunctū fuit, absq; ullo dedecore, obiisse edocet, usq; dum Romæ sub Romulo *Lictores* fieri inciperent, sic dicti à *ligādo*, eo quod Magistratus populi Romani priusquam quempiam verberari jusisset, pedes & manus à ministris illi jubebat ligari, quod et ipsum non obscure indicat Cicero in oratio. pro R. ab. quādo inquit: *I lictor colliga manus*. Hisce Romulus fasces quoq; gestandas dabat, *cum securibus ligatas* addebat & lora, quibus cives vincirent, & quoties jussi erant fasciculos solventes, primò virgis cædebant reum, mox securi feriebant, [*I lictor expedi virgas*,] Videatur. Livius lib. 1. Gellius lib. 13. c. 12. Tacitus libro. 2. p. 77. *Nostro v. seculo carnificum usus in sentibus puniendis est, licet si Bodino credendum adhuc in Angliā si quis in crucem adigendus est, per propinquos id expediatur,*) de quibus non immeritò quærimus, qui fiat quod ubi vis ferè gentium tam pessimè gens ista audiat. Causas rei cape has. I. Quia carnifices ipsi humanæ naturæ sunt exosi, licet etiam meritæ mortis supplicium exequantur. *Tholo*. II. Quia hisce Magistratus sordidissima quæq; opera demandare solet, quæ eos eo audaciæ proripit, ut omnem simul modestiam & honestatem cum pietate exuant. III. *Præterea*, ipsi initio delecti fuerunt, homines nauci & scelerati, qui vitiis suis officium suū polluere, nefas nullum duxere, quæ causæ omnes *cum ex accidente fluxit*, carnifices per se nec posse, nec esse, nec haberi infames. Conclusum esto, cum minimè inhonestum reputetur, capitalem sententiam in facinorosum ferre; Imò, cum Deus in punienda malitiâ humana non malis tantum, sed & bonis spiritibus utatur. Finimus.

DEO GLORIA.



05 A 478

**ULB Halle** 3  
004 209 184



V017


8118











B.I.G.

Farbkarte #13

03

ΠΕΝΤΑΣ  
*Questionum Politicarum,*  
Quam  
Θεῶν εὐλογῶντος  
Consensu Amplis: Facultatis Phi-  
losophicæ in illustri WITTEBERGEN-  
SIUM Academia  
*Præside,*  
**M. GEORGIO OBERLA**  
Plav. Varisco, Amplissimæ Facul:  
Philosophicæ Adjuncto,  
*Publico examini subijcit*  
**JOHANNES HÖFERUS, ELN-  
BOGA-BOHEMUS.**  
*Ad diem XI. Novemb. qui Martino  
aliàs sacer habetur.*  
In acroaterio PHILOSOPHORUM  
horis à 7, matut.  
*Socrates apud Xenoph.*  
Generosum & omni favore dignum est in-  
genium, cui cordi sunt disciplinæ politicæ,  
VVITEBERGÆ,  
*Typis WOLFGANGI MEISNERI. A. 1615*

